2

DISPVTATIO THEOLOGICA

DE VERA ET FALSA DIFFERENTIA VETERIS ET NOVÆ LEGIS, CONTRA FVNDAmentum LVTHERANÆ doctrinæ, à CALVINO etiam receptum, & à MELANCHTHONE, KEMNICIO, HEERBRANDO, & aliis passim Sectariis repetitum,

quo vanissimè ponitur, promissiones euangelicas, non sicut promissiones legis veteris ab obseruatione mandatorum tanquam à conditione dependere.

IN CATHOLICA ACADEMIA INGOLSTAdiensi, anno 1580. die Iulij publicè proposita.

PRÆSIDE

GREGORIO DE VALENTIA, SOCIEtatis IESV, Theol. D. & Professore.

RESPONDENTE PRO SECVNDA IN THEOlogia laurea consequenda

DOCTISSIMO .M. CHRISTOPHORO SELLA NORIBERGENSI, REVERENDISS. ET *Illustriss. Iulij Episcopi Herbip. & Orientalis Franciæ Ducis, Alumno.*

VT VOLVNTATEM DEI FACIENTES REPORTETIS PROMISSIONEM. Ad Hebræ. 10.

INGOLSTADII

Apud DAVIDEM SARTORIVM,

Anno M. D. LXXX.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, DOMINO DOMINO ALEXANDRO, DVCI SLVCENSI, ET COPELIENSI, &c. GREGORIVS DE VALENTIA SOCIETATIS IESV THEOLOGVS gratiam & pacem à DEO Opt. Max. precatur.

CVM SVPERIORIBVS DIEbus, Illustrissime Princeps, ipso cursu mearum lectionum ad eum locũ peruenissem, vbi mihi ratio veteris & nouæ legis, atq; adeò vtriusq; differẽtia auditoribus explicanda erat, ad eamq; rem commentationes etiam Sectariorum, quas de hoc argumẽto legeram, aliquantò diligentiùs perpenderem, non equidem sum eorum ignorantiam, qua in alijs etiam controuersiis passim labuntur, admiratus, sed iactantiam immoderatam cum inscitia erroreq; coniunctam existimaui meritò redarguendam. Gloriantur enim valde, quasi argumentum hoc pulchre ab ipsis explicatum exornatũq; sit, cùm re vera illud maximè inuoluerint atq; corruperint. Quare cùm aliquid videretur esse hoc tempore, pro consuetudine scholæ nostræ, publicè disputãdum, facturum me rem neq; inutilem, neq; parum necessariam iudicaui, si materiam hanc ad publicam disputationem, ita DEO bene iuuante, exponerem, vt & ratio doctrinæ veræ intelligeretur, & leuitas etiam commentitiæ fabulæ, qua isti reliqua fere praua dogmata stabilire conantur, appareret. Quod vt consequi possem, in priori disputationis parte simpliciter asserui veritatem; in posteriori autem examinare constitui errorem. Vbi, quibus omnino modis istorum sententia concipi posit, quoniam

ipsimet quid loquantur, neq; satis explicant, neq; etiam intelligunt, primò mihi docendum fuit: Deinde sensus omnes, quorum aliquem necesse est tam futili opinioni subiectum esse, ordine sum persequutus, & vt mihi videtur, adiutore Christo reuici. Tuo verò nomini, Illustrissime Princeps, hanc lucubratiunculam inscribere atq; dicare volui, vt, quod in primis cupiebam, vel hac ratione, quando alia modò non suppetit, testatũ publicè facerem iudicium de praclara tua dignitate meum. Animaduerti enim hoc tempore, quo nobiscum studiorum gratia commoraris, prater amplissimi generis splendorem, quo familia tua est insignis, tantis te ornamentis, rectissima indolis, humanitatis, grauitatis, modestia & reliquarum virtutum diuinitus auctum esse, quanta in Principe, ista tua prasertim atate, ad exemplũ pradicare, non mihi vicium assentationis, sed officium virtuti debitum videtur. Quasi, vt fecisti hactenus, animo, quemadmodum decet, erga diuinam bonitatem gratissimo exercere excolereq; perrexeris, nihil dubitare possumus, quin sis ad magnam diuini nominis gloriam expectationi, qua de Celsitudine tua apud omnes maxima est, abunde responsurus. Dominus pro sua infinita clementia C. T. sanctissimis donis indies magis ac magis cumulet, incolumemq; conseruet.

DE

DISPVTATIO THEOLOGICA DE VERA DIFFERENTIA, *PARS PRIOR.*

LEX DIVINA EX AVCTORE ATque ex fine conuenienter scripturis sanctis describi solet; diuinum decretū hominibus præscribens modum necessarium, vt aptè peruenire possint ad supernaturalem beatitudinem, quæ est vltimus humanæ vitæ finis. Cuius legis quanta prestantia sit atque vtilitas, ex quatuor virtutibus licet colligere, quas Dauid pulchre & breuiter ei tribuit verbis illis; Lex domini IMMACVLATA, quoniam nihil præcipit mali, sed peccatū omne vetat, ac punit: CONVERTENS ANIMAS, quia de internis etiā animi affectibus, quibus præcipuè homines adhærent Deo, constituit: TESTIMONIVM DOMINI FIDELE, eò quòd certissimè monstrat, quid rectum sit, quid contrà prauum: SAPIENTIAM PRÆSTANS PARVVLIS, qua ratione nos tanquam paruulos de quibusdam rebus erudit, quæ nostrū captum superant. Quas ob caussas meritò idem Propheta; Legem, inquit, pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. Et, quomodo dilexi legem tuam Domine?

Vbicumq; significatur necesse esse facere quæ Lex DEI præscribit. Vt leuit. 18.19.20. & 1. Paralip. 22. & Psal 118. Mat. 19. Rom. 2. Iacobi 2. & aliàs passim.

Psalm. 18.

Psalm. 118.

2. Hinc per Sinecdochen lex diuina nonnunquam dicitur tota religionis summa, quæ non tantùm præceptis, quibus data descriptio propriè conuenit, sed etiam promissionibus, cultu, doctrina, institutis, officiorum gradibus &c. continetur. Vt cùm ait Dominus; Non veni soluere legem, sed adimplere. Et Apostolus: Finis enim legis Christus; pro tota summa religionis Mosaicæ rectè lex potest accipi.

Matth. 5. Rom. 10.

Esai. 2. 3. Similiter in eo loco, vbi prædictum erat, De Syon exibit Lex & verbum Domini de Hierusalem, legem accipere debemus, non tantùm pro Christi præceptis, quę Apostoli iussi fuerunt hominibus exponere, sed etiam pro toto Christianę religionis instituto, quod Hierosolymis prædicari est cœptum. Cumq; constet, eam Christi religionem, atq; adeò legem quæ de Syon exiuit, nouam fuisse, apparet etiam, quidquid Sectarij obmurmurent, loquendi consuetudinem rectè obtinuisse, vt Christianę religionis summa Noua lex vocetur.

4. Sed si differentia primùm exposita fuerit veteris & nouę legis, qua ratione, iuxta descriptionem initio positam, quæ vtriq; communis est, aliquid faciendum præscribunt, facilè indicabimus postea, quid sit etiam inter legem veterem & nouam discrimen, nominibus his acceptis pro tota vtriusq; Religionis summa. Atq; etiam inde intelligetur, quā prerogatiuā propriè habeat gratuita promissio, siue oblatio gratiæ per Christū, vt ad summam Christianæ religionis pertinet: cuius quidē promissionis annunciationem non negamus, etiam Euangelii voce, quæ vt Augus. quoq; notauit, latinè sonat bonum nuncium, significari posse. Quanquam plerumque euangelii verbum in Scriptura ad totam rationem Christianæ religionis accomodari solet, vt ipsi quoque Sectarii agnoscunt, & nos postea idoneo loco docebimus.

l. 2. contra Faustum. Vide D. Augustinum l. 17. de ciuit. c. 17. vbi ait, legem, quæ de Syon exiuit, Euangeliū etiā vocari.

5. Porrò autem vt rectiùs de toto genere iudicetur, intelligendum est, diuinam legem, si eius auctorem scopumq; præcipuum spectemus, vnam atq; simplicem esse. Est enim auctor Deus, qui, vt Propheta inquit, tanquam rex vnicus & legislator est omnis terræ, omniumque seculorum. Scopus etiam est vnus, hominem con- Psalm. 46.

iungere

iungere in hac & in altera vita cum Deo. Vnde apostolus, cùm de lege veteri & euangelica disputaret, hanc ipsam ob causam insinuauit, vtramq; posse cogitari vt vnam, quoniam VNVS, inquit, est Deus, qui IVSTIFICAT circumcisionem ex fide & præputium per fidem. Rom. 3.

6. Etsi autem hoc ita se habeat; ex alijs tamen capitibus non incommodè diuina lex diuidi, & quidem variè potest. PRIMO quidem ex parte diuersi, vt ita dicam, status siue modi, quò existit. Vt alia nimirum sit, quatenus inest in intellectu Dei, qui sapientia sua nobis quædam ad supernaturalem finem consequendum necessaria præscribit; alia, vt consignata literis continetur; alia, vt irradiatione quadam diuinæ sapientiæ in mentibus hominum imprimitur, tum per diuina dona, vt fidei, aut etiam gratiæ, quatenus his illustrata mens certissimè iudicat, quid sit propter supernaturalem finem necessariò faciendum; tum per hoc ipsum certum iudicium, in quo diuinæ legis ratio magis adhuc quàm in donis ipsis fidei aut gratię elucet: quoniam in actu quidem quasi essentialem, vt ita dicam, statum lex omnis habet, (cùm definiri soleat, rationis rectæ dictamen) in habitibus autem, quales fides & gratia sunt, non nisi vt in radice, à qua procedit rationis actus, inest, neque in litteris, nisi vt in signis.

7. Et legem quidem diuinam litteris conscriptam esse, nemo dubitat; eam autem & in mente diuina splendere, & in hominum cordibus, vti dictum est, impressam esse, indicare simul videtur ille locus apud Hieremiam: DABO LEGEM MEAM in visceribus eorum, & in corde eorum scribam, vel sicut Apostolus allegauit, superscribam eam. Quemadmodum enim eam legem, quam Princeps mandat literis, duplicem statum habere in- Hiere. 31. Hebr. 8.

re intelligimus, vnum in mente atq; ratione principis, cuius decretum est, alterum in litteris, tāquam in signis: sic planè lex diuina, quam Deus præscribit hominibus, non tantùm in eorum cordibus superscripta diuinitus est, sed etiam & quidem præcipuè in mente diuina, cuius decretum est, sedem habet.

8. Quam rem non satis rectè quidam animaduertisse videntur, qui vt diuinam legem ab æterna lege, quæ est ratio diuinæ sapientiæ, magis distinguerent, in solis hominum mentibus, fidei vel etiam gratiæ lumine illustratis, eam inesse putauerunt. Cùm tamen nihilominus possint diuina & æterna lex, quamuis in DEO vtraq; collocetur, æquè commoda ratione, atq; alia DEI attributa, distingui. Idem namq; decretum sapientiæ diuinæ vt creaturis ratione præditis præscribit ea, quæ ad finem supernaturalem aptè consequendum, præstanda sunt, lex diuina; vt verò latiùs patet, omnibusq; creaturis modum, vt suos ad fines perueniant, necessarium præfigit, lex æterna, diuersa ratione nominatur.

9. Sed est tamen frequentior, addo & vtilior consideratio diuinæ legis, vt in humanis est mentibus per fidem atq; gratiam, sicut antè expositum est, insculpta. Qua sanè ratione Apostolus Euangelij legem vocat legem spiritus & vitæ; sicut aliâs etiam legem fidei. Quia vt Augustinus inquit, sicut lex factorum scripta fuit in tabulis lapideis, ita lex fidei in cordibus fidelium. Et alio in loco; Quæ sunt, inquit, leges DEI ab ipso DEO scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti? Videlicet, ipsum gratiæ donū, quo Spiritus S. mentem inhabitat, leges DEI vocat, quia velut radix continet certum illud fidei iudicium, quod cū nobis, quid ad supernaturalem finem requiratur, ostendit, quoniam in eo relucet

Rom. 8.
Rom. 3.
August. lib. de Spiritu & littera cap. 26.
Cap. 21. eiusdē libri.

relucet diuini decreti lumen, rationem diuinæ legis participat.

10. Poteſt prætereà lex diuina diuidi pro diuerſitate temporis quo promulgata eſt, atq; etiam pro diuerſitate perfectionis, nõ quidem quę contingat ex parte Dei ſed aliunde vt iam exponemus. Atq; hinc ea diuinarum legum differentia oritur, de qua potiſſimùm diſputare inſtituimus; ſcilicet veteris, olim per Moyſen Iſraelitico populo promulgatæ, & nouæ, quæ longè pòſt, velut emiſſa diuinæ virtutis virga, vt Auguſ. exponit, de Syon primò, iuxta Prophetarum vaticinia, feliciter exiuit, & in vniuerſo mundo per Apoſtolos promulgata eſt. Quã differentiam Apoſtolus ſubindicans, Translato, inquit, Sacerdotio, neceſſe eſt vt legis translatio fiat. Lib. 17. de ciuit DEI c. 17. Pſalm. 109. Iſaiæ. 2. Hebr. 7.

11. Quoniam autẽ cõſtat has leges ita perfectione potiſſimùm differre, vt non vetus noua, per quam eſt conſumatio, ſed noua veteri, quæ nihil ad perfectum adduxit, perfectior ſit, capita ſunt ordine monſtrãda, quibus legis nouæ præſtantia potiſſimè continetur; vt verum iſtarum legum diſcrimen in ſcripturis ſanctis indicatum, à leuiſſima fabulæ Sectariorum, quam poſtea conuellemus, diſcerni poſſit. Epheſ. 4. Hebræ. 7.

12. Primo igitur lex noua perfectior quàm vetus eſt, quoniam ſtatum habet longè perfectiorem. Statum autem diuinæ legis, cùm in hac diſputatione breuitatis ac perſpicuitatis cauſa dico, modum intelligo, quo diuina lex in re aliqua, vt in mente, aut in literis inexiſtit; ſicut à me priùs eſt expoſitum. Ratione igitur ſtatus perfectioris, lex noua præſtantior eſt, quia cùm poſt annum placabilem prædicatum, id eſt, poſt Euangelij promulgationem, gratia & faciliùs longè quàm antea, & à pluribus etiam obtineatur: in pleriſq; eiuſmodi ſtatum ha- Iſai. 61.

bet,vt etiam per gratiæ habitum in eorum ſit cordibus impreſſa. Lex autem vetus propter ceruicem duram illius populi,atque etiam quoniam illis temporibus non ita,vt modò,ad benefaciendum erat effuſa Dei manus, in paucis eum ſtatum habebat, ſed à nullis propemodum obſeruata ſolis ferè mortuiſq; literis conſignata erat. Sicut Chriſtus Phariſæis exprobrat; Nónne

Ioan. 7. Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?

13. Cuius differentiæ conſideratione erigere voluit

2. Corinth. 3. Apoſtolus ſuos Corinthios, cùm eos verbis illis conſolatione plenis compellat: manifeſtati quòd Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis (ſicut olim lex Moyſis) ſed in tabulis cordis carnalibus.

August. lib. de Spiritu & litera cap. 26. Cum qua ſententia bene illud congruit, quod Auguſtinus ait loco priùs citato: ſicut lex factorum in tabulis lapideis;ita legem fidei in cordibus fidelium inſcriptam eſſe.

14. SECVNDO eſt etiam perfectior ex parte finis pro-

Exodi 3. ximi: Nam veteris legis cultoribus temporalia bona ex inſtituto proponebãtur; ſiquidem terra Chananæorum fuit illi genti ab initio promiſſa. Legis autem nouæ vnus ferè ſcopus eſt regnum cœlorum,quod ſpiritualibus bonis, cùm in hac, tum in altera, quam expectamus vita, continetur. Quare Chriſtus in exordio ſta-

Matth. 4. Matth. 24. tim ſuarum concionum,Pœnitentiam,inquit,agite;appropinquabit enim regnum cœlorum: A qua voce, tan-

August. lib. 4. contra Fauſtum cap 2. & lib. 18. de ciu. Dei c. 11. quam à capite,tota Chriſtianæ religionis ſumma,euangelium REGNI, & lex noua nominata eſt, quoniam ex bonis conſtat, quibus innouamur de die in diem. Quemadmodum contraria ratione Auguſtinus legem

veterem dictam putat, quoniam promissionem habebat temporalium rerum, quibus homo vetus reficitur.

15. Nam (vt iam de Millenariorum commento, à plerisq; patribus confutato, nihil dicam) quod apud Marcum promissio exstat; Nemo est, qui reliquerit domũ, aut fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos & fratres & sorores &c. hoc vel ad spiritualia bona, quæ instar sunt omnium temporalium, etiam centies multiplicatorum, referri potest, vt Beda in commentarijs illius loci interpretatus est; Vel si intelligatur etiam, vt alijs placuit, de commoditate temporali, quam Apostoli & alij fideles ex communicatione cum alijs fidelibus, officio beneficentiaq; tanquam patribus & fratribus, consequuti sunt, ne ita quidem ea promissio temporalia ex instituto & purè, sicut promissiones veteris legis, pollicetur. Quandoquidem ea commoditas ex aliena fide atq; charitate pendet, & tum consolatione spirituali, ob mutuam fidelium charitatem, tum etiam tribulationibus multis, vt ibi Marcus dicit, admixta promittitur; idq; obiter, monstrato simul præcipuo fine, qui est vita æterna, neq; vllius aut regni, aut dignitatis temporalis in specie facta mentione. Marci 10.

16. TERTIO, ex modo, quo impellit homines ad sui obseruationem. Hoc enim facit, non aliquo iniecto timore pœnarum temporalium, qui fuit modus seruilior atque imperfectior legis veteris, sed inprimis charitate, quæ vt ait Apostolus, diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Atque hoc quidem ob eam etiam causam legi nouæ Rom. 5.

tribuitur, quoniam vt antea dictum est, facilè habet illum statum, iuxta quem habitu non solùm fidei, sed etiã gratiæ & charitatis est in corde impressa. Quo fit vt non solùm iubeat, sed ipsa etiam quatenus existit eo modo, adiuuet hominem ad sui obseruationem ex amore, quæ est præclara obseruandi ratio.

August. lib. cõtra Adimantum Manichæum cap. 17. Matth. 11.

17. Quamobrem bene ac sapienter ab Augustino dictum est: Breuis differentia legis & Euangelij est timor & amor. Quæ etiam causa est, cur nouæ legis suaue iugum esse, & onus leue dicatur: quia videlicet ipsius legis ope, vt characteribus charitatis in corde scripta est, facilè portatur. Quemadmodum Augustinus quoq; locum illum Ioan. interpretatur, Et mandata eius grauia non sunt; nimirum, inquit, amanti. Contrà verò legis veteris importabile iugum fuisse dicitur, non tantùm quia plura officia externa requirebat, qua de causa antonomasticῶs dicitur lex factorum, sed eò etiam, quòd solis ferè scripta literis, vires ad se supportandam non suppeditabat; & prętere administratio mortis erat, hoc est, mortis aliarúmq; pœnarum temporalium formidine, qua solemus grauiùs cõcuti, terrebat. Quod lex noua non facit: Quanquam in altera vita transgressores eius deteriora multò, vt Apostolus disputat, supplicia maneãt; sed cùm eorum metus, quæ nostra est infirmitas, plerumq; nobis minùs molestus & grauis sit, quàm formido temporalium pœnarum, non perinde lex noua timorem incutere censetur, atq; lex vetus.

Aug. in tran. de laudibus charitatis. Et lib. de natura & gratia cap. 69. 1. Ioan. 5. Actorum 15. Ab Apos. Rom. 3. & ab August. lib. de Spiritu & litera cap. 26. 2. Cor. 3. ad Hebr. 10.

18. QVARTO ex parte materiæ multò pefectioris in qua versatur. Nam vt officia moralia quæ sunt legi nouæ cum lege veteri & naturali lege communia, prætercam, externus certè Sacramentorum cultus quem prę-scribit, longè præstantior est, quàm ceremonię veteres, in qui-

in quibus fuit præsentium vmbra, quæq; fuerũt propter earum infirmitatem decretis perfectioribus euacuatæ. Sed & fidem illustriorem requirit, & de internis animi motibus, apertiùs & vberiùs constituit. Iam enim ad radicem arboris securis posita est; vt nisi abundauerit iustitia nostra plus quàm Pharisæorum & scribarum, in cœlorum regnum intraturi non simus.

Ad Hebr. 10. Ad Ephes. 2. Vide Clem. Ro. l. 6. constit. Apostolicarum. c. 23. Matth. 3. Matth. 5.

19. Summam verò eorum quæ in materia nouæ legis excellunt, Dominus ferè complexus est in eo sermone, cuius fuit conclusio: Omnis qui audit verba mea, & facit ea (audiant Sectarij qui valorem ad salutem apprehendendam non concedunt factis) assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petram, &c. Ex quibus verbis colligit Augustinus, illum Domini sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita formatur, fuisse perfectum.

Matth. 7. Lib 1. de sermone Dñi in monte, sub initium. & l. 2. c. 40.

20. Sed cùm festinemus aliò, non est iam exponendus ille locus. Tantùm hîc obiter pertinaciam vel incogitantiam mei HERBRANDI, notari cupio; qui cùm negare non possit, nouum saltem eúmq; perfectiorem Sacramentorum vsum, fidémq; multorum articulorũ, quorum explicatam notitiam lex vetus nõ requirebat, Christũ vltra præcepta decalogi iniunxisse, temerè scribit, illum neq; legislatorem fuisse, neq; vllum perfectius præceptũ, ad pręcepta per Moysen promulgata, de nouo addidisse, ideóq; nullam esse nouam Christi legem; contra Prophetæ verbum: De Syon exibit lex & verbũ Domini de Hierusalem. Et: Dominus enim (Messias) iudex noster, dominus LEGIFER noster, dominus rex noster ipse saluabit nos.

In disputatione de Euang. num. 13. 14. 18, &c. Isaiæ 2. Isaiæ 33. Vide Augu. lib. 18. de ciuit. cap. 54. vbi ait, de lege quæ p̃ Christum data est, intelligi vaticiniũ illud Isaiæ 2.

21. QVINTO ex parte efficaciæ. Nam iustificat; sicut Apostolus ait: Non erubesco Euangelium; virtus enim

Rom. 1. Dei est, in salutem omni credenti. Et; Lex spiritus vi-
Rom. 8. tæ in Christo IESV liberauit me à lege peccati & mortis.
Rom. 3. Ex operibus autem legis non iustificabitur omnis caro
Gal. 3. corã illo. Sed cùm hoc sit præcipuũ & omniũ maximum inter legem nouam & veterem discrimen, non est tñ satis expeditum, quo sensu illud accipi possit, aut debeat.

22. Ergo vt hoc rectiùs explicemus, illud primò ponendum est, cùm iustificandi vim ex Apostoli sententia (Locis cit.) legi nouæ tribuimus, & in lege veteri fuisse negamus, legem veterem cõsiderare nos posse totam simpliciter, vt præcepta omnis generis continebat. Etenim ea ratione, qua infrà ex orthodoxa sentẽtia declarabim⁹, legẽ veterem non iustificasse, iustificare autem nouam, certum est, nullum genus præceptorum, ne moralium quidem veteris legis, iustificare potuisse. Quod ex Apostolo etiam sic postea Christo propitio planũ faciemus, vt perspicuè appareat, quàm longè ab eius mente Sectarij aberrent, cùm ex eius de hoc argumento disputationibus colligunt, fidem esse aut fuisse aliquando solam, quæ gratiam apprehendat. Docebimus enim nihilominus, vno quodam modo ac respectu, obseruationem etiam pręceptorum legis, pręsertim moralium, ad salutem valuisse; et multò magis modò valere obseruationem legis nouæ. Nunc admonitione hac præmissa, priusquã rationes explicemus, quibus lex noua, non autẽ vetus iustificat, modos remouebo, quibus id intelligi nõ debet.

23. Ac primò extra controuersiam est, non esse referendum hoc discrimen ad moralem iustitiam, quæ aut in habitu consistens, actionibus cum naturali ratione congruentibus exercetur, aut in his ipsis actionibus elucet, quæq; dicitur iustitia quoad homines. Istiusmodi namq; iustitiam, qui legem veterem custodiebant eo ipso consequebantur. Vnde Apostolus, si pręputium, inquit,

quit, IVSTITIAS legis custodiat, nonne præputiũ illius in circumcisionẽ reputabitur? Iustitia igitur, quã præ lege veteri lex noua conferre dicitur, alterius generis iustitia est, qua videlicet iustus quis redditur corã Deo, ipsiq; fit gratus & acceptus ad vitã æternã. De qua D. Paulus: In lege nemo iustificabitur apud Deũ. Et; si Abrahã ex operibus legis iustificatus est, habet gloriã sed nõ apud Deũ.

Rom. 3. Galat. 3. Rom. 4.

24. Neq; etiã rectè qs intellexerit, præcepta legis nouę per se ipsa, vt scripto aut voce tradita sunt, habere vim cõferendi iustitiam coram Deo. Est enim, vt D. Augustin. annotauit, præceptis vtriusq; legis commune, vt per se considerata, quatenus extra hominem existunt, neminẽ iustificent, sed potiùs transgressores damnent, hoc est peccati eos redarguant, eatenusq;, vt Apostolus loquitur, occidant. Quo in sensu rectè idem Augustinus ad vtramq; legem pertinere etiam putat, quod in alio loco Apostolus inquit, literam occidere.

D. Augu. lib. de Spiritu & littera cap. 14 & 17. & ex illo D. Thom. 1. 2. q. 106. art. 2. Rom. 7. Locis paulò antè cit. 2. Cor. 3.

25. Sed neq; propriè sensus est, hanc esse nouæ legis prærogatiuã vt qui eius præcepta omnia f[a]cto exeq[ua]tur, is gratiã adipiscatur corã Deo. Ad iustitia[m] .n. obtinendã satis homini est obseruatio præceptorũ omniũ secundùm animi propositum, quod actu fidei & charitatis vel pœnitentiæ, saltem implicitè continetur. Siquidẽ executiõne ipsa non omnibus occasio datur, ad implendi omnia, & si cui datur, vix fieri potest, quin is gratiam consequatur, priusquã omnia impleat.

26. Porrò si propter hanc causam hoc discrimen ad obseruationem vtriusq; legis secũdùm propositũ, quod saltem fide & charitate aut pœnitentia continetur, accommodandum sit, (sicut inprimis accommodari debet, vt pòst videbimus) hoc ita cautè faciendum est, vt vim cõciliandi iustitiam, neq; omni modo obseruationi nouæ legis secundum id propositum tribuamus, cùm eam

iusti-

iustificare asserimus, neq; etiam omni modo & respectu obseruationi simili veteris legis negemus, cùm eam dicimus non iustificauisse. Nam neq; ea legis nouæ obseruatio conciliat gratiam tanquam eius meritum, (tūc
Rom. 11. enim non esset gratia, vt Apostolus rectè disputat) & obseruationem legis veteris certissimum est, per relationem, vt sic dicam, ad Christum futurum, aliquid ad obtinendam iustitiam contulisse. Quod vel ex illo Christi
Lucæ 10. responso ad legisperitum apparet, Hoc fac & viues. Itē
Rom. 2. ex illo Apostoli loco: Quicunq; in lege peccauerunt, per legē iudicabuntur: non .n. auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabūtur. Et: Circūcisio quidem prodest si legē obserues. Et: Scimus quòd
Rom. 7. lex spiritualis est. Vt iam alia testimonia prætercam.

27. Quibus explicatis possumus diuersis modis illud discrimen exponere; primò, vt sit sensus, legem nouam
Conc. 12. statum habere quo ipsa nos propter Christum iustos facit, quoniam vt suprà explicatum est, in cordibus nostris est conscripta per gratiam & charitatem; quibus, Christo id promerente, iusti, & grati Deo sumus: legem autem veterem è contrario habuisse statum, quo non ipsa homines iustos faceret, sed damnaret potiùs, quatenus literis conscripta præscribebat ea quæ non fiebant. Secundò, vt sit etiam sensus, lege noua vsum Sacramento-
Galat. 4. rum eiusmodi præcipi, quæ non sint egena elementa, vt illa antiqua, sed quę vt instrumenta valeant efficienter conferre gratiam: legem autem veterem huius generis Sacramentis caruisse.

28. Sed quamuis istæ explicationes per se sint veræ, & à magnis authoribus adhibeantur, ex Apostoli tamen sententia, atq; etiam ex mente orthodoxorum patrum, præcipuè videtur hoc discrimen accommodandum esse sim-

se simpliciter ad vtriusq; legis obseruationem eo modo & cautione, qua paulò antè diximus; vt sit hîc sensus: Quamuis obseruationi veteris legis saltem secundùm propositum quod fide, charitate &c. contineretur, commune cum obseruatione simili nouæ legis fuerit, vt aliquo tandem modo (excepta vtrobique semper ratione propria meriti) ad iustitiam valeret, sic videlicet, vt eam homini tanquam necessaria dispositio conciliaret: hoc tamen interesse, quòd id non conueniebat illi absolutè & per se, vt erat præcisè obseruatio illius legis, quatenus promulgata fuit per Moysen, & pro illo tempore, & illis circumstantiis &c. sed per relationem ad Christum alio tempore venturum, atque adeò ad aliam legem cuius Christus erat futurus auctor: Contrà verò obseruationi nouæ legis id competit per se contrario modo, hoc est, nō per relationem ad aliam legem aut legislatorem, sed propter auctoritatem & meritum sui auctoris Christi, atque eatenus certè secundùm se. Siquidem quod obseruationi alicuius legis ex conditore suo conuenit, id ab ipsa lege non est alienum, vt quæ à legislatore vim atque rationem legis habet.

29. Per se autē sine illa relatione ad viuificatricē Christi virtutem significat Apostolus, legem illam veterem Rom. 7. damnauisse potiùs homines transgressores, & ostendisse excitauisseque quodammodo peccatum, quatenus & naturę legem vitiis penè iam obrutam denuo illustrauit, monstrauitq; consequenter peccata cum ea pugnantia, quæ in hominum cognitione propter illorum cæcitatem erant sepulta atque mortua; & ea requisiuit, quæ ferè non sunt facta. Tum etiam opere completa per se Rom. 4. quoque, vt idem Apostolus indicat, cultoribus suis iusti- Hebr. 9. tiam apud homines conferebat, atq; etiam iustitias siue

emundationes carnis, hoc est immunitates quasdam, vt sine legis impedimẽto, quo ꝓpter imũditias aliquas innodabantur, liberè vacare & interesse possent cæremonijs. Sed iustitiam corã Deo nõ nisi per relationẽ ad Christum legis nouæ auctorẽ, vt dictũ est, conciliare poterat: cùm tñ lex noua eam virtutem non ex alieno sed ex proprio auctore, adeoq; quodammodo ex proprijs habeat.

30. Atq; hoc quidem discrimen ita expositum, passim indicauit Apostolus. Vt cùm ait: Vnus est Deus iustificans circumcisionem ex fide (en respectum ad Christũ) & præputium per fidem. Item cùm subiungit: Quid ergo, legem destruimus per fidem? absit; sed legem statuimus. Id est, indicamus Christum, ex quo lex virtutem accipiebat, vt eius obseruatio ad iustitiam prodesset. Sicut paulò antè hanc ob causam dixerat, Christum propositum esse à Deo, propitiationẽ per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionẽ præcedentium delictorũ, in sustentatione Dei, ad ostẽsionem iustitiæ eius in hoc tempore. Id est, vt intelligeretur, cuius respectu atq; merito Deus antea legis cultoribus peccata remiserit, cõtuleritq; iustitiam suã, cuius videlicet ipse sol⁹ auctor est, quáq; homines iustos facit. Quod ipsum alibi explicat. Nã quod impossibile, inqt, erat legi, in quo infirmabatur ꝑ carnẽ, Deus filiũ suũ mittẽs in similitudinẽ carnis peccati, & de peccato dãnauit peccatũ in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.

Rom. 3.

Rom. 8.

31. Et vt alia loca prętereã, satis ostendit Apostolus, eo solùm modo, quo dicimus, obseruationi legis veteris iustificandi vim se negauisse, cùm illo etiã argumento ipsã non iustificâsse ꝓbat; quia si per legẽ, inquit, iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Quæ certè cõclusio non sequitur, si obseruatio legis, per relationem ad passionem

Galat. 2.

Christi futurã, valebat ad iustitiam; sed si per se sine huiusmodi respectu iustificabat. Quare hoc tantùm Apostolus negat. Quod etiam paulò superiùs declarat, cùm assertionem ipsam ponit his verbis: scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem IESV Christi. Id est, non sine relatione fidei ad Christum; sicut apertiùs significat dictio græca ἐὰν μὴ, id est, si non per fidem IESV Christi.

32. Quo quidem sensu antea monui de tota lege veteri simpliciter dici posse, quòd nõ iustificauerit. Certum est enim, sine relatione ad Christum, neq; obseruationẽ præceptorum moralium ad iustitiam per se, vt erat propriè obseruatio illius legis traditæ per Moysen, valuisse. Itaq; aliquot in locis Apostolus iustificandi vim per se sine respectu ad Christũ omnino toti legi negat, etiã secũdùm ea præcepta, quæ materiam haberent cũ præceptis legis naturalis cõmunem, ad omnes gẽtes pertinentẽ: vt inde nimirũ doceat, oẽs æquè sine Christo peccatores fuisse, indiguisseq; beneficio redemptionis ad iustitiam.

33. Vt cùm ait: Iustitia autem Dei per fidẽ IESV Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum. Non.n. inquit, est distinctio; omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. Et; causati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptũ est, quoniã nõ est iustus q̃squam &c. Et; conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide IESV Christi daretur credẽtibus. Et; si Abrahã ex operibus legis iustificatus est, habet gloriã sed non apud Deũ. Quo loco in lege itẽ naturæ, vt qua sola tunc Abrahã tenebatur, negat fuisse per se vim iustificãdi sine relatione fidei erga benedictũ semẽ illi promissũ. Quanquã aliàs etiã sicut disputationis opportunitas postulabat, ita conatur auctoritatẽ minuere veteris legis,

Rom. 3.
Ibidem.
Gal. 3.
Rom. 4.

vt propriè quidem vim iustificandi per se illi neget, quoad præcepta cæremonialia, in quibus potissimùm Iudæi gloriabantur, tanquam in his, quæ ipsorum essent omni modo propria. Quò spectat illud: An Iudæorum Deus tantùm? nònne & gentium? Rom. 3.

34. QVÆ DOCTRINA manifestè indicat, summum esse Lutheranorum stuporem, qui ex his atq; similibus Apostoli sententiis colligunt, nullam nunc aliam actionem rectam præter solam fidem conciliare gratiam: cùm ille solùm disputet, nulli certè aut operi aut actioni conuenire, vt gratiam concilìet, ea præcisè ratione, qua fuit per legem olim à Moyse promulgatam, aut etiam per legem naturalem, præscripta, sine fidei relatione ad Christum.

35. Quod vt meliùs intelligatur, atque etiam vt aperiatur via ad rectam intelligentiam multorum locorum, ex epistola præsertim ad Romanos & Galatas, quibus isti abutuntur, notanda est ratio atque series disputationis Apostolicæ. Scopus præcipuus est, vtrique populo, Iudæorum & Gentilium, legem Christi persuadere, qua lex vetus sic antiquata fuerit, vt neq; obseruatio moraliũ sit iam nobis ex vi legis illius, aut sub comminatione illarum pœnarum necessaria; sed tantùm ex vi legis nouæ & naturæ, quam Christus etiam confirmauit; neque obseruatione cæremonialium, propter illorum infirmitatem & significationem iam completam, sine iactura salutis, vti possimus. Hoc vt euincat, principium illud sæpe sumit & inculcat, obseruationem legis veteris, siue quoad præcepta cæremonialia siue etiam quoad moralia, quæ cum lege naturæ materiam habebant communem, per se, vt erat obseruatio illius legis, non valuisse, sine relatione fidei ad Christum, conciliare iustitiam.

Scopus Apostoli ad Rom. & Gal.

Quod

Quod principium duabus præcipuè viis probare nititur. Vna est, quoniam ex operibus legis nemo merebatur iustitiam, quasi ea ratione obseruatio legis per se gratiam conciliaret. Id quod rursus confirmat, quoniam Abraham & alij non propter executionem operum, sed per fidem in Christum, (non exclusa tamen charitate, sine qua cætera nihil valere constanter docet) quæ sine vllius operis executione haberi potest, gratiam adepti sunt: tum etiam quia si gratia homini daretur ex proprij operis, aut ex cuiuscunq; omnino actionis etiam internę merito, iam non esset gratia. Altera via, qua illud principium probat, est, quoniam non ij solùm, qui ex circumcisione erant, & lege promulgata per Moysen tenebantur, sed etiam alij ex gentibus iustitiam per fidē in Christum sunt consequuti. Nam & hinc etiam fit credibile, obseruationem legis non habuisse vim conciliandi iustitiam per se ex propria ratione sua, sed alio ex capite, quod potuerit illi esse cum obseruatione legis naturalis commune, atque adeò gentibus etiam prodesse, nempe ex relatione ad Christum. Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quę in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudęus, & circumcisio cordis in spiritu non litera. Ergo ex illo principio, quod Apostolus sumpsit, quodque tum auctoritate sua, tum aliis explicationibus confirmauit, tandem id, quod erat ipsi propositum, conclusit, perfecta iam redemptione per Christum, legeque noua fidei promulgata, ab omnibus eam recipi debere; legemq; veterem, quæ ad Christum tanquam ad ipsius finem & terminum, in quem respiciebat, via quædam fuit, exoleuisse.

1.Cor.13.

Rom.2.

36. Hanc explicationem si rectè quis animaduerterit, eamq; cum disputationibus D.Pauli de hoc argumento

conculerit, deprehendet profectò, nihil minùs Apostolo in mentem venisse, quàm illud quod Sectarij somniant, charitatis aut pœnitentiæ actum, vt à legis nouæ auctore Christo præscribitur, eiúsq; meritis nititur, non etiam vnâ cum fide conciliare seu apprehendere (vt isti loquuntur) iustitiam.

37. Sed de istorum absurditate atq; errore dicemus paulò pòst. Hactennus enim doctrinam tantùm veram, de vtriusq; legis discrimine, exponere voluimus. Quæ rectè intellecta multas illustrat scripturæ sententias. Ex ea enim intelligitur primùm, præclarè inter D. Paulum

Rom. 3. 4. 7. 11. Galat. 3. & similibus. Iac. 2. & D. Iacobum conuenire, quamuis ille neminem ex operibus legis iustificari; hic autem ex operibus legis iustificari hominem, non ex fide tantùm, scripserit. Vtrũque enim est diuersa ratione verum: Videlicet, & opera legis præcisè sine relatione ad Christum ad iustitiam nõ valere, quod D. Paulus disputauit, & cum ea relatione adeoq; cum fide coniuncta valere, quod D. Iacobus affirmat, & D. Paulus nunquam inficiari voluit.

Galat. 3. 38. Item hinc intelligitur, cur Apostolus legem veterem quasi pædagogum ad Christum fuisse dixerit, quia videlicet rudiora quædã & imperfecta præcepta tradebat, quorũ disciplina ille populus velut paruulus cõtine-

Ibidem. retur, & quasi conclusus, vt Apostolus loquitur, custodiretur, donec veniret Christi fides, ad quam præparabat lex illa.

39. Sic etiam quod Christus ait, venisse se, nõ vt legem

Matth. 5. solueret sed vt adimpleret, ideo etiam dixit, quoniam venit vt precium solueret, cuius respectu obseruatio le-

Rom. 3. gis aliquid valuerat. Quæ fuit etiam Apostolo causa vt diceret, legem non destrui per fidem, sed statui potiùs.

Ioan. 1. Ioannes quoque legem non nisi per Christum valuisse con-

ſe conciliare gratiam, ſatis illa oratione indicat; Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas p Ieſũ Chriſtũ facta eſt.

Aug. lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorũ cap. 4.

40. Et ne omnia perſequar eandem rationem habet id quod B. Auguſtinus animaduertit, qui ex patribus veteris teſtamenti iuſtitiam adepti ſunt, eatenus quidẽ nõ ad vetus teſtamentũ, ſed ad nouum pertinuiſſe, quia ſcilicet vt in gratiã reciperẽtur, obſeruatio illius legis nõ fecit quaten⁹ fuit obſeruatio legis illius, ſed quatenus cõiuncta cũ fide in Chriſtũ nouę legis ac teſtamẽti auctorẽ.

41. Ex Qvibvs rebus illud etiã intelligitur, legẽ nouam perfectiorem eſſe, quàm legem veterem, licet accipiamus hæc nomina non tantùm propriè ſicut hactenùs vt lex noua & vetus præceptis continetur, ſed impropriè, vt ſignificant ſummam vtriuſq; religionis nouæ & veteris. Nam vt hactenus expoſitũ eſt, ideo lex noua, vt in præceptis conſiſtit, perfectior eſt lege veteri, quia reſpectũ habet ad perfectiorẽ cultũ, ad redemptionẽ per Chriſtũ ipſius auctorẽ iam perfectã, ad meliorũ bonorũ promiſſiones, ad gratiã vberiorẽ, ad illuſtriorem fidẽ, adeoq; doctrinam explicatiorem &c. Quæ omnia cùm ad ſummam Chriſtianæ religionis pertineant, fit vt illa longè perfectior ſit quàm ſumma religionis veteris.

42. Eadem ratione conſtat, teſtamentum nouum veteri teſtamento perfectius eſſe, ſi nomina hæc, vt ſæpe ſolent, pro noua & veteri religione ſumantur: iuxta illud Apoſtoli: Nunc autem melius ſortitus eſt miniſteriũ quantò & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitũ eſt. Qua in ſignificatione dici etiã ſolet inter Euangeliũ acceptũ pro tota ſumma legis nouæ & legẽ veterẽ intereſſe; illúdq; longè perfectius eſſe. Nam & Euangelij vox, vt initio dicebamus, non tantùm pro læto nuntio, quale eſt remiſſionis

Vide Aug. li. 18. de ciuit c. 11. & l. de Spiritu & litera. c. 18.

Hebræ. 8.

Conc. 3.

peccato-

peccatorum annuntiatio, ſed etiam pro tota Chriſti religione nonnunquam ponitur, ſicut & vox legis nouæ. Vt cùm ait Apoſtolus: Segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiſerat per Prophetas ſuos: Et Chriſtus, Euntes in mundum vniuerſum prædicare Euangelium omni creaturæ. Nimirum (vt Matthæus pluribus verbis retulit) docentes eos ſeruare omnia, quęcunq; mandaui vobis. Ex quibus quidem vna tantùm pars eſt fides, vel pœnitētia ad remiſſionem peccatorum. Nam veriſſimè Auguſtinus; hoc eſt, inquit, euangelizare Chriſtum, non tantùm dicere, q̄ ſunt credēda de Chriſto, ſed etiam quę obſeruāda ei, qui accedit ad compagē corporis Chriſti.

[Margin: Rom. 1. — Marci vlt. — Matth. vlt. — Lib. de fide & operibus c. 9.]

DE FALSA DIFFERENTIA,

PARS POSTERIOR.

EXPLICATA IAM DIFFERENTIA VERA veteris & nouæ legis, reliquum eſt, vt falſam abſurdiſſimamq; differentiam, quam inter vtramq; religionem aſſignāt aduerſarij, examinemus. Aiunt enim, hoc eſſe inprimis diſcrimen, q̄ lex vetus habebat ꝓmiſſiones gratię & vitę æternæ conditionales, ſi videlicet quis perfectè obſeruaret diuina præcepta, iuxta illud, inquiunt: Maledictus qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Et; Qui fecerit homo viuet in eis. Lex aūt noua vel Euangelium, vt illi loqui malunt, habet, inquiunt, promiſſionem gratiæ & vitæ æternæ abſolutam, quæ ab obſeruatione præceptorum tanquam à conditione non pendeat, ſed fide ſola apprehendatur, iuxta illud: Vt omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et; Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redem-

[Margin: Caluin. lib. 3. inſtit. ca 11. Secti. 17. Vbi etiam ſecti. 19. expreſsè defendit ſola fide hominem iuſtificari. Philipp. in loco de lege & Euangelio. Heerbran. in Compendio Theol. c. de diff. legis & Euangel. Kemnitius in Exam. Concil. Trid. cont. c. 11. ſ. ſ. 6. q. 1. de bonis operib9, &c. ex doctrina Lutheri in lib. de li. Chriſtiā. & aliâs. — Deuter. 27. — Exod. 18. & Rom. 10. — Ioan 3. Rom. 3.]

redemptionem, quæ est in CHRISTO IESV, quem proposuit Deus propitiationē per fidem in sanguine ipsius.

44. Quod eam etiam ob causam sic docent, vt sententiam alteram æquè vanam faciliùs persuadere possint, videlicet vnúquemq; non tantùm generatim, sicut scriptura & Symbolū Apostolicū loquuntur, credere debere remissionē peccatorum, & gratiam ijs dari, quibus ratione diuinitus constituta Dominicæ passionis virtus prodest, sed in particulari etiam, & quidem pari certitudine, se iam in gratiam receptum esse. Vident enim neminem hoc sibi tam certò, quàm ipsi volunt, persuadere posse, si euangelica promissio pēdeat ab obseruatione debita præceptorum; cùm propter naturæ infirmitatem nullus omnino sit, qui certò statuere possit, ita se præcepta seruare, sicut oportet.

45. Ego verò cùm phantasma istud attentiùs considero, ex aliqua trium imaginationum, quarū quælibet falsa etiam & hæretica est, necessariò illud proficisci debere animaduerto. Si enim quæram, cur sola fides faciat, vt promissio gratiæ & vitæ æternæ adimpleatur in nobis, neq; ad eam rem obseruatio præceptorum tanquam necessaria conditio requiratur, necesse est, respōdeant, causam esse, quia vel nullis omnino præceptis, præterq̄ præcepto fidei, tenemur; vel si tenemur, eorum tamen obseruationē nullo modo nobis necessariā ad eū finem esse, vt gratiam vel gloriam consequamur; vel si aliquo modo ad eum finem est necessaria, non eo modo certè, quasi illa gratiam & gloriam conciliet & apprehendat, sed solius fidei hoc munus esse. Ne autem queri possint, me hanc ipsorum doctrinam nō eo sensu, quo ipsi intelligunt, oppugnare, ouíncam ordine, illā omnibus his tribus modis, quorum aliquo necesse est ab ipsis

Sententiam hæreticorum tribus modis intelligi posse.

1. 2. 3.

intelligi, falſam, vanam & hæreticam eſſe.

I. 46. Igitur PRIMO poſſet eſſe ſenſus, idcirco Euangelij promiſſionem non pendere ab obſeruatione mandatorum, quoniam Chriſtianus homo nullis præceptis obligetur, neq; vlla ipſi opera, prçter fidem, neceſſaria ſint. Et ita quidem negant pleriq; ex iſtis, eam ſententiā accipi debere. Quin etiam Lutherus ipſe aliquibus in locis apertè diſputauit, Chriſtianos alijs etiam præceptis obligari, ipſiſq; bona opera eſſe neceſſaria.

> Prçcipuè in diſputatione. 3. 4. 5. contra Antinomos.

47. Sed contraria tamen ſententia homini aliâs variò atq; inconſtanti meritò nihilominus aſſcribi potuit. Nā vt alia loca ex illius operibus ab alijs notata prætercam, in concione quadam per Martinum Bucerum latinè reddita * in hūc modum admonuit: *Hîc à ſcandalo caue diligentiſſimè quod obijciunt tibi, quicunq; docent te operari, & non potiùs credere; qui Chriſtum legislatorem tibi faciunt & iudicem, neq; ſinunt eum tantùm auxiliatorem & conſolatorem tibi aduenire.* Et paulò pòſt: *Nam ſi voles, inquit, ſyncera fide in Chriſtum non excidere, ſed ipſum redemptorē aſſequi, neceſſum eſt vt valedicas omnibus bonis operibus, ne illis aliquid mereri præſumas.* Vbi non tantùm meriti rationem excluſiſſe, ex verbis blaſphemiæ plenis, quæ continenter ſubiunxit, videri poteſt. Addidit enim de bonis operibus: *Nihil niſi offendicula ſunt, quæ à Chriſto & Deo te* ALIENANT. *Coram* DEO *nulla niſi vnius* CHRISTI *propria opera momenti alicuius ſunt, illis ſalutem operari tuam credas oportet,* NEQVE QVIDQVAM ERGA DEVM FACERE, NISI VT HVIC EVANGELIO HABEAS CERTAM FIDEM, *Chriſti opera, quæ pro te patri offert, te reddere ſaluum, quç ita pura perſeuerat, dum nulla re niſi Chriſti meritis confidis,* NIHIL VERO AGIS,

> De 3. Dominica aduentus.

> * Anno 25. quādo bene adhuc illi cum Luthero conueniebat, vt ex præfixa Epiſtola ad fratres diſperſos p Gallias apparet.

GIS, QVIESCIS TANTVM & Christi merita excipis, permittisq; tibi Christum benefacere ac suam erga te dilectionem exercere. Et post pauca: Omnia, inquit, præter fidem opera proximo exhibenda sunt, quòd Deus NVLLVM præter fidem, qua ipsi suum honorem tribuimus, à nobis requirat. Tum in alia concione, interpretans vocem illam Ioannis; Parate viam Domini, rectas facite semitas eius; Viam hanc, inquit, tunc paras, non cùm ieiunas, ORAS, corpus proprium affligis, aut alijs tuis OPERIBVS studes, idquod stulti prædicatores (scilicet sancti Ecclesiæ patres) hoc tẽpore Aduentus soliti sunt docere, sed cùm te penitissimè agnoueris, nempe inutilem esse peccatorem, miserum, damnatum cum omnibus operibus tuis & quidquid OMNINO poteris. Cor quodlibet quantò hanc sui cognitionem habuerit perfectiorem, quantò pleniùs agnouerit, se nihil esse, tantò ad illud Domino via paratior & instructior est, ETIAM SI interim homo nihil nisi vinum creticum biberet, & ingrederetur sup rosas, NEQVE VERBO QVIDEM ORARET. Et alio in loco: Clarum est, inquit, homini Christiano suam fidem sufficere pro omnibus, neque operibus ei opus fore: quòd si operibus non habet opus, nec lege opus habet: Si lege non habet opus, certè liber est à lege.

In concione de Dominica 4. Aduentus per Martinũ Bucerũ latinè reddita.

In lib. de lib. Christiana.

48. Sed siue hoc Lutherus aut etiam alij voluerint, siue non voluerint, aut certè iam turpitudine nefarij dogmatis deterriti non velint, certissimum est, illo primo sensu phantasiam istorum cum scriptura sacra pugnare, ideoq; iure in sancta Synodo Tridẽtina fuisse dãnatã. Nam Christus Dominus tum illud communissimũ principium legis naturæ, quo legem contineri dicit &

Sess. 6. can. 20.

Matth. 7. Prophetas,scilicet, Quæcunq; vultis, vt faciant vobis
L. 6. constit. Apostolicarum. cap. 23. homines, & vos facite illis; tum vt à Clemente etiã Romano animaduersum est, alia quoq; naturalia præcepta, disertis verbis confirmauit. Atq; etiam speciatim
Matth. 19. Marci 10. Lucæ 18. Ioan 3 Luc. 13. Ioan. 6. Luc. 22. Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ vsum præcepit; aliáque pręcepta in sermone, quem in mente habuit, auctoritate planè legislatoris tradidit; Vt ex illa dicendi formula, quà est vsus: Ego autem dico vobis &c. colligit B.
Matth. 5. Lib. 1. retract. cap. 22. Augustinus. Quocirca Christianę institutionis formulam
Matth. 28. Apostolis tradens, Euntes inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunq; MANDAVI vobis.

Galat. 6. 49. Et clarissimè D. Paulus: Alter alterius onera portate, & sic, inquit, adimplebitis legẽ Christi; siue generatim hoc loco omnia pręcepta, quibus lex Christi con-
L. 3. contra epist. Parmeniani. cap. 2. tinetur, intellexerit, siue, vt Augustinus exponit, præceptũ illud propriè, de quo legimus apud Ioannem; Man-
Ioan. 13. datum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Quod etsi antiquum fuerit, nouum tamen eam ob causam appel-
Tract. 65. in Ioan. lat, inquit idẽ Augustin. quoniam innouat spiritualiter eos, qui ipsum adimplẽt; tum etiam, quia illud Christus
L. 6. constit. Apostolicarum. cap. 23. innouauit, vt ait Clemens Romanus.

50. Denique si nullis Christiani legibus præterquam præcepto fidei obligarentur, nulla possent ab illis peccata in cultu, aut in alijs vitæ actionibus committi. Nã v-
Rom. 4. bi lex non est, neq; præuaricatio legis, inquit Apostolus.
Psalm. 118. Et ideo Dauid præuaricantes reputauit omnes peccatores terrę, quoniam ne intelligi quidem peccatum potest, quod non sit legis alicuius transgressio. Christianos autem non alio genere peccatorum, pręterquam peccato infidelitatis delinquere posse, quis mente præditus,

qui

qui vel obiter testamẽtum nouum inspexerit, animum inducat credere?

51. Quanquam Lutherus quidem videri possit ab hac absurditate non longè abfuisse, cùm sæpe scripserit, nullum aliud esse præter infidelitatem peccatũ apud Christianos, saltem quod eos damnare possit. Id quod aliâs etiam ostenditur esse dogma hæreticum: Nam & peccati cuiuscunq; grauioris stipendium mors est, & cùm Apostolus inquit, his nihil damnationis esse, qui non secundùm carnem ambulant, satis insinuat id, quod aliâs etiã declarauit, peccata quæcunq; secundùm carnem per se posse damnare. Itaq; conuenienter ibi subiungit: Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini. Et sanè si nullum aliud peccatum præter infidelitatem causa damnationis esse posset, non nisi iniqua planè futura esset forma illa condemnationis, qua constat iustissimũ iudicem in extremo iudicio vsurum esse, cùm dicet: Ite maledicti in ignem æternum. Esuriui ENIM &c. Rom. 6. Rom. 8. Galat. 5. Rom. 8. Matth. 25.

52. Quod autem Apostolus ait, fideles non esse sub lege, minimè obstat, quò minùs intelligamus eos legibus obligari, quarum transgressione etiam possint damnationem incurrere; sed sensus est, non esse pondere timoris à lege oppressos, si spiritu charitateq; ad eam obseruandam adducãtur, vt ipse Apostolus indicat, & D. Augustinus interpretatur. Qui alio etiam in loco versum illum Dauidicum exponens: Beatus vir, qui non abijt &c. sed in legẽ Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte; præclarè notat, quemadmodum iusti quidẽ sint in lege quatenus ea tenẽtur, ipsámque spiritu adimplent, non autem sub lege, quoniam nõ ex timore illi parent. Qui enim, ait, est sub lege, secundùm legem agitur, qui est in lege, secundùm legem agit. Galat. 5. Aug. lib. de natura & gratia. cap. 57. Psalm. 1. August. in expositione illius Psalm.

 53. Sic

Rom. 3. 53. Sic etiam quòd Apostolus distinguens legem nouam à veteri, eam appellat legem fidei, veterem autem, legem factorum, non ita accipiendũ est, quasi nulla facta præcipiat lex noua. Extant. n. illa Christi præcepta: Benefacite ijs qui oderunt vos. Et; Hoc facite in meã commemorationem, & alia, quæ suprà commemorauimus. Sed sensus est; legem nouam propriè esse conscriptã in cordibus per gratiam & fidem; neq; tã multa facta præscribere, quàm iniungebat lex vetus, quæ ideo per antonomasiã, vt suprà notauim[9], appellari potest lex factorũ.

Matth. 5. Lucæ 22. Conc. 17.

II. 54. SECVNDO illius commenti Lutherani hic etiam, vt dicebamus, posset esse sensus: quamuis noua lex præcepta contineat necessariò seruanda, eorum tamen obseruationem nullo respectu aut ratione necessariã Christianis esse in eum finem, vt in illis adimpleatur gratiæ & gloriæ promissio, sed alias ob causas, videlicet vt fructus fidei edant, & gratos se ostendant &c. Et hoc quidem modo ab istis accipi oportere quod asserunt, illud

Conc. 44. argumentum declarar, quod antea dicebamus, ipsos ad hanc vanitatem impulisse. Si enim, vt frustra cupiunt, certi absq; vlla hæsitatione esse volunt, quòd sint in gratiam recepti, necesse est negent, obseruationem legis vllo prorsus respectu aut modo requiri ad eum finem, vt quis, siue per ipsam obseruationem, siue alia via gratiam consequatur. Nam si vllo modo ponunt ad hoc esse præceptorum obseruationem necessariam, cùm fateantur dubitandum esse, an ea sit talis qualem esse oportet, cogentur iuxta ratiocinationem illam suam consequenter dubitare, num sint gratiam aliqua tandem via consequuti.

55. Sic autẽ accepta istorũ phantasia, similiter est falsa & hęretica, & pugnãs etiã cum ijs, quę alioquin ipsi dogmatizant.

matizant. Quæ omnia ordine ostendã. Nam imprimis si, vt passim significant, de obseruatione legis tam perfecta quàm post Adæ peccatum nequit esse, loquãtur; quę videlicet procedat, ex integra iustitia, qualẽ initio accepit Adam, non potest procedere assignatũ ab ipsis inter vtramq; legem discrimen. Vt.n. Euangelica promissio non pendet ab eiusmodi obseruatione, ita neq; promissio legis veteris pendebat.

56. Est enim, vt aliâs fortasse vberiùs demõstrabimus, vanissimum somnium, putare aliquã Dei legem vnquã homines obligauisse, vt ex illa iustitiæ integritate operarentur. Quod enim lex Dei requirit, id ad consequendum per Christi merita finem supernaturalem hominibus est in hac vita ordinariè necessarium. Hinc enim Christus adolescenti ait, Si vis ad vitam ingredi (vtique Matth. 19. non sine meo merito etiam) serua mandata. Et hoc differt lex à consilio, quòd præscriptum medium ad finem necessariò exigit; consilium verò, tanquam vtile tantùm ad finem, illud proponit. Integritatem autem originalis illius iustitiæ adeò non requisiuit necessariò ad supernaturalem finem propter Christi merita consequendum Deus, vt etiam ex æternitate decreuerit prædestinatos omnes ab Adam & Abel iusto vsq; ad vltimũ, qui nascetur, ꝓpter Christi merita, sine eiusmodi iustitia aut actionibus ex ea procedentibus, perducere ad beatitudinẽ.

57. Nec, si eam iustitiã Deus initio Adæ contulit, & posteritati eius etiã conferre, quantum in ipso fuit, voluit, illico vt ex eiusmodi iustitia operaretur præcepit. Nusq̃ hoc sectarij in scriptura, quã vnicã aliâs iactant, legerũt. Sed eò illud donũ pertinebat, vt sanctiùs, feliciúsq; vitã homines ducerent, aliáq; præcepta rectiùs & puriùs exequerentur; sic vt nõ tantùm mortalia peccata, sicut modò per gratiã possumus, sed simul etiam omnia venialia vitare valerent.

58. Cùm

Deut. 6. & Mat. 22. 58. Cùm autem Deum ex toto corde diligere iubemur, non ex integra iustitia, qualem in Adamo amisimus, sed eo modo id facere iubemur, quo ex ipsa scriptura constat, in hac naturę infirmitate & fieri posse & à multis factum esse per Christi gratiam. Ita videlicer, vt, quod Propheta exprobrat, non sit cor nostrum diuisum, sic vt in eo regnet aliquid aliud præter Deum, sed affectum nostrum totum accommodemus illi soli, tanquam vltimo fini, quem cæteris rebus omnibus anteponamus, cuius causa simus parati, omnia vel facere vel pati, quæcunq; necessaria sint, vt eum supremo loco habere, ipsiq; ad hærere possimus.

Osee 10.

59. Quis enim credat, obsequium, quod ne per gratiā quidem præstari queat, ab homine requiri illis verbis: Et nunc Israel, Quid Dñs Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum? Quasi dicat, res est planè, quam adhuc pręstare potes. Tum post promulgatam legem, ijs, qui iustitia integra destituti, eam in hac vita recuperaturi nūquam erant, nihilominus dicitur: Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi (hodie etiam, tanquam adhuc res fieri possit) vt facias mandata hæc atq; iudicia, vt custodias & impleas ex toto corde, & ex tota anima tua. Et; cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris. Et; si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri. Quasi ijs verbis exponeret Samuel, eum ex toto corde conuerti ad Deum, qui nihil illi anteponit, id est, ad nullam rem sic afficitur, vt eius caussa desciscat à Deo. Atq; etiam alibi: Dominus, inquit, propitiabitur cunctis, qui in toto corde quærunt eum. Neque minùs procul dubio verè, quàm confidenter Dauid,

Deut. 10. Deut. 26. Deut 4. 1. Reg. 7. 2. Paralip. 30. Psalm. 118.

uid, In toto, inquit, corde meo exquisiui te. Quod similiter dicere potuerunt sancti omnes, quibus propitius fuit Deus.

60. Itaq; ex his locis perspicuè apparet, præceptum diligendi ex toto corde Deum, sic in hac vita impleri posse, vt peccatum certè contra illud vitetur. Nam quod Augustinus aliquoties perfectè impleri negat, eò pertinet, vt intelligamus, non posse nos eò perfectionis diligendo Deum peruenire, quò tanquam ad finem refertur hoc præceptum; vt perpetuò scilicet Deum diligamus, ad ipsúmq; sine vlla exceptione omnia nostra dirigamus, quod est ita ex toto corde Deum diligere, vt beati soli diligunt. Atq; hoc tantùm Augustinum voluisse, in eo potissimùm loco ipse declarat, vbi ait, ideo præceptum hoc traditũ fuisse illis verbis, (ex toto corde) vt, quoniam ad perfectionem charitatis beatorum accommodari etiam ea verba possunt, admoneremur, quo spem præmittere, & quid fide exposcere, & ad quid nos extendere deberemus. Nunquam autem illi venit in mentem ea perfectione charitatis, quam in hac vita consequi non possumus, debere nos iam DEVM ex eius præcepti vi diligere, sed illa qua vt expositum est, nunc etiam possumus, de qua Ioannes ait, Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.

Lib. de Spiritu & lit. cap. 36.

1. Ioan. 2.

61. Sunt etiam aliæ rationes, quæ perspicuè probant istos desipere, si cum aiunt promissiones legis veteris pẽdere ex obseruatione perfecta præceptorum, promissiones autem Euangelij non pendere, de obseruatione illa, quę ex iustitia integra proficiscatur, loquuntur. Aut enim homines, quibus factæ sunt promissiones, quæ ab eiusmodi obseruatione penderent, potuerunt alia via salutem consequi, non adhibita illa conditione, aut non

E potue-

potuerunt. Si potuerunt; non igitur Deus promisit illis salutem dependenter ab obseruatione eiusmodi tanquam à conditione necessaria, sine qua videlicet nollet salutem conferre. Si non potuerunt; nullus igitur ex illis salutem vnquam consequutus est; quia nullus conditionem ad id necessariam adhibuit. Qui esset error intolerabilis, euidenter cum scriptura pugnans.

62. Præterea certum est, hominibus nullam à Deo factam esse in lege promissionem salutis, nisi dependenter à Christo: quotquot enim promissiones Dei sunt, in-
2. Corinth. 1. quit Apostolus, in illo EST, id est, in Christo; et non est,
Actor. 4. inquit Petrus, in alio aliquo salus; nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri: At ipsi etiam Sectarij fatentur, promissiones propter Christum factas, sine obseruatione illa ex integra iustitia, Christi merito adimpleri posse: Ficta est igitur & somniata ab istis promissio talis, quæ ex perfectissima illa obseruatione præceptorum tanquã ex conditione necessaria pendeat.

63. Neq; video sanè, quid hîc isti dicere possint; nisi forte quod hactenus ignoranter fecerunt, candidè nunc fateantur; videlicet se putauisse, Deum aliquando nihil cogitantem de Christo, promissionem vnam fecisse qua obseruationem ex iustitia integra tanquam conditionem necessariam ad salutem requireret, postea verò in Christi merita intuentem fecisse aliam, qua promitteret, se sine eiusmodi conditione, quam antea velut omnino necessariam requisiuerat, salutem propter Christi merita donaturũ. Vel certè existimauisse se, Deum, cũ Christum & alia omnia, quæ ad hominũ salutẽ pertinẽt, in conspectu haberet, promissionẽ vnam tamen fecisse, qua independenter à Christo vellet salutẽ conferre hominibus,

minibus, si ex iustitia integra legem obseruarēt; alteram autem, qua iisdem promitteret donaturum se etiam sine eiusmodi conditione salutem propter Christum, si in ipsum crederent.

64. Si primum imaginati sunt, Deum cogitauerūt miseri sicut hominē, q consilia propter incircumspectionē mutat: si secundū, de Christi gloria detraxerūt, & in Apostolicā doctrinā impegerunt, q̄ disertè negat, salutem vnquā hominibus fuisse in lege promisā, nisi dependēter à Christo; & prçterea inane faciūt Dei consilium, qꝑ promissionē fecerit, quā præsciebat in nullo vnquā hominū fore implendā, qui videlicet per obseruationem legis ex integra iustitia, independēter à Christi meritis, salutem adipisceretur. Et super hæc omnia isti boni viri à nobis cogētur, eiusmodi aliquā promissionē spiritualē salutis, q̄ nō dependeat à Christo, in scripturis, vel (ne videamur tā rigidè cū ipsis agere, q̄ ipsi nobiscū agere volunt) in sacris conciliis, aut sanctorū Patrū scriptis, aut in Ecclesiasticis traditionibus ostendere: vt si hoc nō fecerint, sicut facere in çternū nō possunt, cōfiteātur, q̄ de obseruatiōe legis ex integra iustitia disputare solēt, tū in hac q̄stione de discrimine legis & euangelij, tū aliâs esse ꝓrsus vana. Locis antea cit.

65. Iam verò si etiam loquantur de obseruatione legis per gratiam nunc possibili, ne tunc quidē doctrina eorū secundo illo sensu, quem iam persequimur, procedit. Certissimum enim est, huiusmodi obseruationem non minùs ad eum finem necessariam esse, vt promissio Euāgelij nūc impleatur, quàm olim necessaria fuit, vt impleretur promisio legis veteris; ita scilicet vt gratia ne iam quidem acquiri posit absque obseruatione posibili præceptorum, saltem secundùm propositum, quod fide, charitate & pœnitentia contineatur; neque etiam

conſeruari aut augeri, & multò minùs obtineri gloria ſine executione præceptorum cuiuſq; generis, quando eorum obligatio vrget, & facultas ſuppetit adimplendi.

66. Hoc apparet euidenter primùm ex illis propoſitionibus conditionalibus, quas in ſcriptura noui teſtamēti legimus: (Matth. 5.) Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum (Ioan. 15.) cœlorum. Et; Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis (Ibidem.) in dilectione mea. Et; Vos amici mei eritis, ſi feceritis (Lucæ 13.) quæ præcipio vobis. Et; Si pœnitentiam non habueritis (Rom. 8.) omnes ſimiliter peribitis. Et; Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; Si autem ſpiritu facta carnis (2. ad Tim. 2.) mortificaueritis, viuetis. Et; Si ſuſtinebimus & con(Rom. 8.)regnabimus. Et; Si tamen compatimur, vt & conglori(2. Timoth. 2.)ficemur. Et; Si quis ergo emundauerit ſe ab his, fiet vas in honorem.

67. Idem ex alijs propoſitionibus neceſſariò colligitur, quæ licet conditionalem particulam non habeāt, reipſa tamen eandem conditionem manifeſtè indicant. (Matth. 7.) Vt: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. Sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœ(Matth. 7.)lorum. Et; omnis qui audit verba mea hæc & facit ea, (Matth. 25.) aſſimilabitur viro ſapienti &c. Et; Ite maledicti in (Rom. 8.) ignē æternum. Eſuriui ENIM &c. Et; Nihil ergo dānationis eſt ijs, qui ſunt in CHRISTO IESV, qui non ſe(Rom. 2.)cundùm carnem ambulant. Et; Qui reddet vnicuiq; iuxta opera ſua; ijs quidem qui ſecundùm patientiam boni operis gloriam & incorruptionem quæ(Hebr. 5.)runt, vitam æternam. Et; Factus eſt omnibus obtem(Hebr. 6.)perantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Et; Vt non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum qui fide & patien-

tia hæ-

tia hæreditabunt PROMISSIONES. Et; Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis PROMISSIONEM. Et; Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hebr. 10. 2. Petri. 1.

68. Quis tam cæcus est, vt non perspicuè iam videat, non tantùm fidem, sed etiã obseruationẽ præceptorũ in eum finem prodesse, vt gratiæ & gloriæ simus compotes, adeóq; gratiæ & gloriæ promissiones ab eiusmodi etiam obseruatione dependere? Mihi quidem non minùs clarè sententijs istis Lutherana sententia confutari videtur, quàm eorũ scriptis, qui contra Lutheranos hoc tempore disputationem instituunt. Sed probemus hoc ipsum ex his etiam quæ isti concedunt. Ac primò quidem accipio illud quod aiunt se admittere, præcepta Christianis esse necessariò seruanda. Hîc si quæram, quorsum præceptorum obseruatio necessaria sit; respondebunt mihi, non vt per ipsam ꝓmissio salutis adimpleatur, hoc enim fieri per solam fidem, sed propter alios fines, scilicet vt fidei fructus ostendamus &c. Quæro deinde, vtrum censeant, in eiusmodi homine per solam fidem impleri promissionem posse, qui præcepta nõ obseruet? Omnino necesse est, vt negent. Nam in illis tantummodo promissio impletur, qui in gratiam diuinam recipiuntur; & hi tantùm in gratiam diuinam recipiuntur, qui amore supernaturali diliguntur à Deo; & hi tantùm diliguntur hoc amore, qui præcepta (saltem secundùm propositum, quod pœnitentia & charitate continetur) seruant: Sicut Christus perspicuè docuit. Ioan. 14. Nunc ita concludo: præceptorum obseruatio necessaria est, vt promissio salutis per fidem impleatur: igitur nisi quis præcepta seruet, promissio salutis non in eo implebitur: & si promissio salutis in aliquo nõ im-

plebitur, nisi præcepta seruet: ergo promissio salutis non est nuda & absoluta planè, sed ab obseruatione mādatorum tanquam à conditione necessariò pendet, & consequenter præceptorum obseruatio in eū etiam finē vtilis atq; necessaria est, vt ꝓmissio eiusmodi adimpleatur. An est vlla consequētia ex istis, quæ nō sit euidens?

69. Accedit, quòd isti aliâs in eo etiam errore sunt, vt existiment, fidem eam, quæ ad salutem necessaria est, nō posse absq; charitate, adeóq; absq; obseruatione mādatorum, quatenus virtute in charitate includitur, consistere. Ex quo etiam illico sequitur, promissionem salutis hoc ipso quòd ab eiusmodi fide tanquam à conditione pendet, ab obseruatione quoq; mandatorum aliquo tandem modo seu respectu, vt à conditione necessaria pendere: atq; adeò non ita planè nudam & absolutam esse, vt obseruatio præceptorum ad eius etiam executionem omnino non conferat: Qui erat secundus modus quo dicebamus antea accipi posse Lutheranam hanc fabulam de discrimine Legis & Euangelij, eóq; modo acceptā (sicut illos etiā accipe debere, si de gratia certi esse volūt, suprà ostēdimus) planè falsā, hæreticā, & istorū etiā dogmatibus repugnantē esse, vt iā est demonstratū. Suprà conclusione 54.

III. 70. Restat vt illū alium modū excutiamus, quo diximus posse TERTIO intelligi Lutheranam differentiam legis veteris & nouæ, nimirum vt sit sensus, promissionē Euāgelicam, etsi aliquo tandē respectu ab obseruatione mandatorū pendeat, at non eo modo certè, quasi ex eius vi compleatur, id est, quasi salutē ipsa cōciliet vel apprehendat, sed solā fidē hoc facere: promissionem aūt legis veteris ab obseruatione mandatorū eo modo dependisse. Et si nō aliud velint; primùm nō erit igitur Euāgelica promissio à cōditione obseruatiōis mādatorū planè absoluta. *Deinde* vt promissionē legis veteris ab obseruatione man-

one mandatorũ tanquã à conditione, quæ salutẽ ipsa cõsequutura esset, dependisse doceant, ad obseruationẽ ex iustitia integra iã impossibilẽ recurrendũ ipsis erit. non .n. cõcedent, obseruationẽ mandatorũ talẽ, qualis in hac naturæ corruptione esse potest, sic ad effectũ ꝓmissionis legis veteris necessariã fuisse, vt ipsa gratiã per se cõciliaret. Nã si qui ex illis ad quos ea ꝓmissio propriè ꝑtinuit, iustificati sunt, eos itẽ sola fide in Christũ, nõ autẽ obseruatiõe mãdatorũ quã in hac infirmitate naturæ pręstare potuerũt, salutẽ adeptos fuisse volũt. Commentũ autẽ ꝓmissionis diuinę, quæ ex obseruatione illa post amissã iustitiã originalem impossibili tanq̃ ex necessaria conditione vllo modo pẽdeat, quale sit, satis antea docuimus. Conc. 57. & deinceps.

71. Sed neq; tertio illo sensu consequi poterunt id, q̄ in hac disputatione præcipuè sibi proponũt, videlicet vt certissimè sine vlla hæsitatiõe vnusquisq; statuere possit, se gratiã adeptũ esse, atq; adeò ꝓmissionẽ in se esse completã. Si.n. vllo tandẽ respectu ꝓmissio pendet ex obseruatione mandatorũ tali, qualis in hac infirmitate naturę potest ac debet esse; vt q̄sq; dubitare potest, nũ eo modo mãdata seruet, quo valet ac debet, ita etiam num adimpleatur in se ꝓmissio, quæ ex eiusmodi obseruatiõe, quacunq; tandẽ de causa, pendet. Quod .n. ad hanc dubitationẽ attinet, nihil interest, vtrũ hoc vel illo respectu ꝓmissio pẽdeat ex obseruatione mãdatorũ, modò aliquo tandẽ respectu ex ea certè sic pendeat, vt nemo sine illa consequatur, siue ꝑ solã fidẽ, siue alia via effectũ ꝓmissionis: hoc.n. ipso dubitatio de obseruatiõe ad effectũ etiã ꝓmissionis, q̄ sine obseruatiõe nõ cõtingit, sese extẽdet.

72 Ac propterea suprà dicebam, istos, si quicquã de suis phantasiis atq; hallucinationibus intelligunt, negare etiam absolutè, iuxta secundum illum opinionis suæ sensum priùs confutatum, debere, vllo respectu promissionem Conc. 54.

nem

nem Euangelicam ab obseruatione mandatorum pendere. Quanquam ne tunc quidem miseri atq; ignorantissimi homines haberent exitum. Nam adhuc de propria fide, à qua prorsus ponunt pendere promissionem, dubitare possent, num talis esset, qualem scriptura sacra requirit, vt gratiam apprehendat; videlicet an supernaturalis & legitima persuasio sit, quæ diuina inspiratione atq; ope nitatur, an verò tantùm opinio vel temerè, vel certè sine diuino instinctu suscepta.

Ephes. 2.

Lib. 13. de Trin. cap. 1.

73. Etsi enim qui credit, sicut Augustinus notat, certò sciat se credere, conditio tamen propriæ fidei non minùs ignota est vnicuiq;, quàm conditio propriæ pœnitentiæ vel charitatis. Tametsi quales hos motus in genere esse oporteat, scriptura doceat: Sed vt nihilominus potest quis in particulari decipi, falsò putans se talem pœnitentiam aut charitatem habere, qualem scriptura requirit, ita etiam nonnunquam accidit, vt quis falsò putet, se habere legitimam fidem. Quod, vt ea modò præteream, quæ contra vanam istorum fiduciam aliâs disputari solent, satis ipsis esse deberet, vt ne putarent, se de propria gratia esse posse prorsus certos; Maximè cùm fidem arbitrentur non posse legitimam esse, sine pœnitẽtia & charitate legitima, ipsiq; etiam nobiscum fateantur, vnicuiq; esse incertum, num pœnitentiæ & charitatis motum legitimum habeat: ex hoc enim necessariò consequitur, debere ipsos dubitare quoque num habeant talem fidem qualem requirunt, atq; adeò num sint consequuti gratiam.

74. Sed ostendamus deinceps, opinionem istorum, illo tertio sensu acceptam, non tantùm cum ipsorum placitis non cohærere, vt satis hactenus est declaratum, verùm etiam cum vera fide pugnare, ex qua constet, effectum

fectum promissionis Euangelicę, nempe gratiam & gloriam, non minùs obseruatione mandatorum quàm fide apprehendi; hoc solùm excepto, quòd, vt ex orthodoxa sentētia in Cōcilio Tridentino explicatū est, fides est initiū, fundamentū & radix nostræ salutis; cū necesse sit, eam prælucere reliquis, quæ ad salutem requiruntur.

Sess. 6. cap. 8. Ita etiam D. August. lib de prædestinatione sāctorum. cap. 7.

75. Vt autem probatio rectiùs instituatur, considerandum est, nos non vno eodémq; modo aduersùs istos asserere, gratiam & gloriam obseruatione mandatorum cōciliari siue apprehendi. Nam gratiam obtineri dicimus obseruatione mandatorum, etiam secundùm solum ꝓpositum, quòd fide, charitate, aut pœnitentia legitima contineatur; Siquidem possunt hi motus, vel quando nullum omnino præceptum vrget, vel etiam quando aliquod vrget, ante illius exequutionem in momēto haberi, adeóq; gratiam conciliare. Neq; verò id ita, quasi in motu fidei, charitatis aut pœnitentiæ insit verum meritum gratiæ: hoc enim nos non minùs contra Pelagianos negamus constanter, quàm solent Sectarij mendaciter nobis obijcere; sed quia eiusmodi motibus, adiuuante Deo, sufficienter homo disponitur ad suscipiendam gratiam. Quod, vt statim videbimus, non est, sicut ex ignorātia Sectarij putāt, motus eos dignitate sua gratiam promereri. Vt quis autē obseruatione mandatorū gloriā obtineat, eorū etiam executionē, quando obligatio vrget, & implendi facultas adest, cū scriptura sancta requirimus; contra Sectarióśq; docemus, non solā fidē, sed executionē eiusmodi vnà cū fide valere ad gloriā apprehendendā, & quidē ita, vt ipsam etiā verè mereatur.

Vide Cōc. Trid. sess. 6. c. 5. & 8.

76. Vtrumq; igitur aduersùs istorum doctrinā, tertio illo modo, quem iam oppugnamus, acceptam, breuiter probandū est. Quod ad gratiā quidē attinet, hoc modo:

Probatur, gratiam non sola fide sed charitatis etiam & pœnitētiæ motibus apprehendi.

gratiam aliquo animi motu apprehendi siue conciliari, aliud non est, quàm lege Dei ordinaria ita motum aliquem ad iustificationem requiri & acceptari, vt ex his, qui ratione vtuntur, illi omnes & soli gratia diuina certissimè propter Christi merita donentur, qui eiusmodi motum vnà cum aliis requisitis habent. Hoc enim est motum aliquem hominibus instar manus esse, qua gratiam capiant, sibiq; merita Christi applicent; nimirū, & eos qui eiusmodi motu cōcitantur, ita certò per Christi merita gratiam cōsequi, vt solet quis certò comprehendere rem quam manu capit, & eos qui eiusmodi motu carent, ita certò gratiam nō consequi, vt certum est hominem orbatum manibus id non apprehendere, quod sine manibus capere non potest. Et si hoc nō vident aduersarij subesse tantū suis vocibus, quando metaphoricè dicunt, fidei motum manum esse quæ gratiam accipit, certissimum est eos proprias voces ignorare, tantumq; sine intelligētia rei significatæ, sonare verba, vt in omnibus ferè controuersiis ob ignorantiam, qua vehementissimè laborāt, facere solent. Huiusmodi enim & similes loquendi formulæ ideo in fidei motum conueniunt, quoniā ex lege Dei ordinaria sic ille ad iustificationem requiritur & acceptatur, vt ex iis qui ratione vtuntur illi omnes & soli propter Christū gratia donentur, qui fidei motum legitimum habent vnà cum aliis motibus; quos in mente etiam eius, qui iustificatur, excitari debere, ipsi quoq; sectarij fatentur: quamuis ob imperitiam, vt iam videbimus, negent, illis etiam gratiam apprehendi.

77. Nunc ita ad rationem concludendam procedo: Ex Scripturis sanctis certissimū est, ordinaria Dei lege, eo modo quo paulò antè posuimus, nō tantùm fidei motum, sed motum etiam pœnitentiæ & charitatis ad iustificatio-

ficationem requiri & acceptari in his qui ratione vtuntur: Nam vt illud legimus, Gratia saluati estis per fidem; Ephes. 2.
&, Sine fide impossibile est placere Deo; ita etiam legi- Hebr. 11.
mus: Si q̃s diligit me diligetur à patre meo; &, Qui non Ioan. 14.
diligit, manet in morte: tũ etiam de pœnitentia; Si im- 1. Ioan. 3.
pius egerit pœnitentiam à peccato suo, vita viuet & non Ezech. 33.
morietur; &, Si pœnitentiam non habueritis, omnes si- Lucæ 13.
militer peribitis; vt iã alias huius generis sententias plurimas omittam. Necessaria igitur consequentia partim ex ipsa verborum notione, partim ex scripturis sanctis ducta concluditur, gratiam, vt affirmauimus, nõ tantùm fidei motu, sed etiam motu charitatis & pœnitentiæ apprehendi; ac proinde gratiæ promissionem ab obseruatione quoq; mandatorum secundùm propositum, quod charitate & pœnitentia contineatur, sic dependere, vt per ipsam etiam oporteat illius effectum apprehendi.

78. Atq; hinc etiam nullo negotio euinci potest, his motibus, tanquam dispositionibus, vti dicebamus, gratiam acquiri. Etenim ab his qui rem intelligunt, hoc ipso mens nostra ad suscipiendã gratiam sufficienter disponi dicitur, quòd excitata & adiuta diuinitus, ad ipsũ gratiæ auctorẽ Deũ sese conuertit aliq̃bus motibus, quibus ex lege ordinaria necessariò indiget, quíq; ei sufficiunt, vt gratiæ dono ꝓpter Christi meritũ afficiatur. Itaque menti eiusmodi motibus in Deũ conuersæ, tanquã sufficienter paratę & dispositæ, gratia donari dicitur, nequaq̃ quidẽ vt merces quã bonitas siue dignitas eiusmodi motuũ ex debito iustitiæ compensetur, (hoc.n. non esset tantùm eiusmodi motibus disponi & parari mentẽ ad gratiã, verùm etiam gratiã mereri, quod minimè fit) sed tanq̃ gratuitũ planè munus ex diuina misericordia profectum, cuius mens tunc demũ proximè capax est,

Fidei charitatis & pœnitentiæ motib⁹ tanquã dispositionibus gratiam apprehendi.

cùm ita erga Deum mouetur, ſicut ex lege ordinaria opus eſt ad hoc, vt miſericordiam conſequatur. Quemadmodum, ſi quis princeps pauperibus illis omnibus & ſolis eleemoſynam ſe certam gratis ex miſeratione erogaturum promitteret, qui ad ipſum venirent, eleemoſynamq; peterent, diſponi quidem & parari pauperes ad eam eleemoſynam accipiendam, conueniendo principem & petendo diceremus: mereri autem eleemoſynam eo ipſo non diceremus.

Simile.

79. Quoniam igitur in his, qui ratione vtuntur, motus fidei, charitatis & pœnitentiæ neceſſarij ſunt & ſufficiunt vt quis gratię munere ex miſeratione diuina, adeóque gratis afficiatur, pſpicuū eſt, eos motus, quāuis gratiam non mereantur, mentem tamen ad ſuſcipiendam gratiam diſponere, eatenuſq; gratiam conciliare ſeu apprehendere. Quod quidem idcirco ab iſtis hominibus hactenus negatū eſt, quoniā omnis verę Theologię, imò mediocris etiam intelligentiæ expertes, quid nomine diſpoſitiōis intelligeremus, & quomodo eius ratio à ratiōe meriti differret, nunq̄ aſſeq potuerūt. Sed ſpero ex his paucis rē fore planiorē ijs ſaltē q plusq̄ iſti intelligūt.

Vt ſuprà conc. 77. ex ſcriptura probatū eſt.

80. SVPEREST, vt ſimiliter oſtendamus, gloriæ promiſſionem ſic ab obſeruatione mandatorū, etiā ſecundùm executionē, pēdere, vt ad eius conſecutionem non ſola fides, ſed huiuſmodi quoq; mandatorū obſeruatio per ſe conducat, eámq; proinde apprehendat. Quod ſanè ita generatim pronuntiatū euidenter ex eo cōſequitur, quòd ex his qui ratione vtūtur illi ſoli & omnes propter Chriſti meritum adipiſcuntur gloriam, qui ſeruant mādata: quemadmodum & ex alijs locis paſſim, & ex illo Chriſti reſponſo conſtat: Si vis ad vitā ingredi, ſerua mādata. Hoc enim, ſicut ſuprà quoq; de apprehēſione gratię ra-

Matth. 19.

tiæ ratiocinabamur, est, obseruationem mandatorum instar manus nobis esse, qua gloriam consequi possimus. Atq; etiam idipsum multis testimoniis antea citatis confirmatur, quibus disertè docemur, oportere nos nō tantùm credere, sed etiam facere voluntatem Domini, vt regnum cœlorum & repromissionem, sicut apertè Paulus inquit, accipiamus. Deniq; nullo prorsus modo assecutio vitæ æternæ in Scripturis sanctis fidei tribuitur, quo non etiam obseruationi mandatorum tribuatur, dū non minùs ipsa, quàm fides exigitur. Hebr.6.& 10.

81. Imò si quæ differentia est, obseruatio potiùs mandatorum, quod ad hunc effectum attinet, fidei videtur anteponi. Vt cùm Christus Dominus, non secùs quàm si Lutheranos solos notare voluisset, admonuit: Attendite à falsis Prophetis &c. nō omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorū, sed qui facit voluntatē Patris mei, qui in cœlis est, IPSE (quoniā hoc videlicet facit) intrabit in regnū cœlorum. Itē; Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram &c. Quid autem is, qui non facit? Omnis, inquit, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam. Matth.7. Ibidem.

82. Quæ igitur præstigiæ sunt istæ Lutheranę, ex arena nobis facere petram, & ex petra arenā, id est virtutem apprehendendi vitam æternam soli fidei, quā Christus arenæ comparauit, tribuere: obseruationi autem mandatorū, quam cum fide coniunctā instar esse firmę petrę dixit, negare? Et vnde hoc dogma colligunt, vel potiùs vnde contrariam sententiam non colligunt? Certè charitatem, quæ legem implet, & fide maiorem, & viam ad beatitudinis terminum, quô tendimus, excellentiorem Matth.7. 1.Cor.13. 1.Cor.12.

esse dixit Apostolus. Quod si charitas maior quàm fides est, & excellentior ad beatitudinem via est, non modò non sola fides beatitudinem apprehendet, sed aliquid aliud erit, quod excellentiùs quàm fides ad beatitudinem nos perducet.

83. Sed probemus etiam breuiter obseruationē mandatorum sic vitam æternā apprehendere seu conciliare, vt vnà cum fide eam etiam tanquam mercedem mereatur; vt ea quoque ratione promissionem vitæ æternæ à bonis operibus tanquam à conditione dependere constet. Complectar autem breui rem totam, copiosè aliâs disputari solitam, hac ratione: Si quæ operum bonitas iuxta formam commutatiuæ vel distributiuæ iustitiæ compensari aliquo munere ex obligatione debet, dubium non est, quin hoc ipso eiusmodi opera censenda sint mereri tanquam mercedem id munus, eóque proinde digna esse. hæc enim est vsitata notio nominis, vt exemplis quotidianis, quæ vnicuique sunt in promptu, doceri potest: Constat autē ex Scripturis sanctis, Deum Christi meritis adductum, promissione se obligauisse ad compensandum vitæ æternę munere bona iustorū opera, secundum formam iustitiæ distributiuæ, (de forma enim commutatiuæ, multa in vtramque partem probabiliter in proprio loco disputāda essent, sine quibus potest iam à nobis, ex eo quod certum est, orthodoxa sententia probari) ita scilicet vt quantum vnius opera bonitate adeoq; dignitate, quam ex gratia & charitate potissimùm habent, alterius opera excesserint, tantò vnus quàm alter perfectiùs & clariùs essentiam diuinam sit visurus: Non est igitur dubitandum, quin bona opera iustorum vitam æternam verè mereantur.

Ita colligitur etiā ex Apostolo ad Rom 4. Iacob. 1. & aliās.

Psal. 61. Rom. 2.

Vide Conc. Triden. sess. 6. c. 16.

84. Pro-

84. Probatur verò id quod assumpsimus ex illis locis: Qui reddet vnicuiq; IVXTA OPERA SVA. Et; Beatus vir qui suffert tentationem quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronã vitę, quam repromisit Dominus diligẽtibus se. Et; In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; nõ solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius. Vbi pulchrè Augustinus: Quid tibi, inquit, reddet, nisi quod tibi debet? Vnde tibi debet? Quid ei dedisti? Quis prior dedit illi & retribuetur ei? Debitorẽ Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo; non ei dicitur, redde quod accepisti, sed redde quod promisisti. Rom. 2. Iacob. 1. 2. Timoth. 4. D. August. super Psal. 83.

85. Atq; huc etiam alia testimonia pertinent ex quibus apparet vitam æternam, quasi bonorum operũ mercedem retribui iustis, adeoque ex debito, non ex mera gratia: Ei enim qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum, vt ait Apostolus. Quamuis non retribuatur quidem vita æterna nisi pro meritis quæ contulit gratia. Quo sensu interpretatur Augustinus illud quod ait alibi Apostolus, [a] Gratia Dei vita æterna. Illius autem generis testimonia nota sunt: Vt; [b] Ego ero protector tuus & merces tua magna nimis. Et; [c] Iusti autẽ in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorũ. Et; [d] Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis &c. Rom. 4. Aug lib. de Correctione & gratia cap. 13. Vide etiam li. de gratia & lib. 16. cap 8. a Rom. 6. b Genes. 15. c Sapient. 5. d Matth. 5.

86. Quod autem aduersarios hoc loco errare facit, est, quoniam omnia opera iustorũ hoc ipso quòd ex integra iustitia, qualẽ in Adamo amisimus, nõ oriuntur, peccata esse, adeoq; mercede indigna, non tantùm hæreticè sed admodum etiam imperitè censent: siquidem vt antea ostendimus, nemo ex iustitia eiusmodi operari iubetur. Deinde etiam non assequuntur, rationem meriti in operi-

operibus bonis piorum rectiſſimè poſſe conſiſtere, tametſi non præciſè propter eorum bonitatem Deus ad remunerationem obligetur, ſed potiſſimùm, vt Augu-
Auguſt. ſup. Pſal. 83. ſtinus docet, promiſſione ſua. Cùm tamen ratio meriti hoc ipſo in aliquo bono opere inſit, quòd ſecundùm aliquem modum iuſtitiæ, ex obligatione, vndecunque potiſſimùm illa oriatur, compenſari debeat. Vt ſi princeps promiſiſſet, ſe parua obſequia ſubditorum magnis præmiis ſecundùm iuſtitiæ diſtributiuæ proportionẽ compẽſaturum, nemo dubitaret, quin ſubditus, obſequium aliquod ex illis præſtans, pręmium iuxta proportionem ſibi ex promiſſione principis debitum mereretur.

87. Dico autem, obligationem diuinam potiſſimùm oriri ex promiſſione, non autẽ ex promiſſione ſola oriri; quoniam facta promiſſione, qua Deus etiam in genere obligauit ſe ad remunerandum, iuxta æqualem proportionem, recta iuſtorum opera; non tantùm ex promiſſione ſua, ſed ex bonitate quoq; maiori vel minori operum, vt à gratia procedunt, obligatur ad compẽſanda in ſpecie hæc aut illa opera, ſecundùm hanc vel illam proportionem; quoniam ex maiori vel minori operum bonitate fit, vt non niſi ea ſit iuſta proportio, qualem in genere promiſit ſe ſeruaturum. Ex qua re apparet, abunde ſuppetere nobis rationem, cur iuſtorũ opera, ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam meritoria vitæ æternę eſſe dicamus, ſiquidem ipſa etiam vt à gratia procedunt, tametſi non ea ratione præciſè, ſed poſita etiam promiſſione, Deum obligant ad retribuendam vitam æternam in eo gradu, quo illa vniuſcuiuſq; iuſti operibus iuſta proportione reſpondet.

88. Et nihil huic doctrinæ obſtat quòd promiſsionem Deus non niſi liberaliter nobis fecit; hinc enim tantùm conſe-

consequitur, ipsum liberaliter ad retributionem iuxta formam distributiuę iustitiæ se obligauisse. Postquam hoc autem, quocunq; tandem id modo, fecit, obligatus omnino nobis & debitor à seipso, vt Augustinus inquit, In Psalm. 83. factus manet; & quidem obligatione longè arctiori quàm sit ea qua nos ipse ad aliquid faciendũ astringit: Nos enim facere secus quàm obligati sumus, tametsi id non rectè, possumus: Ille omnino secus, quàm promisit, facere nequit. Quia natura fidelis est, & negare seipsum nullo modo potest. 2. Timoth. 2.

89. Sed neq; ex hac doctrina rectè colliges, in fidei charitatis & pœnitentię motibus, quibus ad gratiam sufficienter desponimur, inesse similiter verum meritum eiusdem gratiæ; quod videlicet maiore vel minore gratia ex promissione diuina iuxta proportionem bonitatis eiusmodi motuũ compensari debeat. Aut enim hi motus à gratia iustificante non procedunt; aut ab ea etiam procedunt: Si non procedunt; tunc neq; gratiam neq; etiam vitam æternã ex iustitia merentur. Certum enim ex diuinis literis est, nullos bonos motus aut opera ex promissione diuina secundum iustitię proportionem aliquo munere compensari, nisi ex gratia procedant, ab eáq; tanquam à radice bonitatem accipiant. Si autem, quod grauioribus Theologis meritò placet, ab ipsa etiã gratia iustificante procedunt illi motus, merentur illi quidem eatenus ex promissione diuina vitam æternam secundum iustitiæ proportionem, minimè verò ipsam gratiã à qua meriti valorem habent. Nam ne intelligere quidem possumus id ipsum esse mercedem ac pręmium compensans valorem operis, quod principium sit atq; radix ex qua is ipse valor meritũq; operis existat. Quocirca, sicut superiùs etiam docuimus, homini motibus

fidei pœnitentię & charitatis dispoſito minimè promittit DEVS gratiam tanquã mercedem qua eiuſmodi motuum bonitatem compenſet, ſed tanquam donum ex ſola miſericordia cõferendum ſecundùm eam proportionem qua homo ipſe adiuuante Deo magis vel minus capacem eius ſe reddiderit per illos ipſos motus. Vt ſi princeps aliquis promitteret ſe ex miſericordia ſola pauperibus petentibus erogaturum eleemoſynam, maiorem aut minorem prout ipſi magis aut minus inſtiterint petendo.

90. Verùm hæc aliâs fortaſſis in proprio loco latiùs. Nam quod ad inſtitutum præſens attinebat, ſatis hactenus demonſtrauiſſe videmur, quod Sectarij ſubinde tãquam fundamentum ſuorum commentorum repetũt, legem veterem ab Euangelio hoc differre quod illa promiſſionem habeat conditionalem ab obſeruatione prçceptorum pendentem, euangelium autem ab ea conditione abſolutam, non poſſe ab ipſis, quocunq; tandem ſe vertant, defendi, ſed phantaſma merum eſſe, quod ipſimet non intelligunt, ſicut nec alia multa quæ ſuper hoc ruinoſo fundamento extruunt. Lex enim vetus & lex noua, ſiue pro præceptis ſiue pro tota ſumma vtriuſq; religionis accipiantur, non aliter differunt quàm ſuprà docuimus. Et ſi ſpeciatim ad vtriuſq; religionis promiſſiones, quod ad earum efficaciam attinet, diſcrimen accommodare volumus, in hoc tantùm eſt ponendum, quod promiſſiones veteris legis efficaces nõ erant per ſe vt ad illam legem pertinebant, ſed per relationem ad auctorem alterius legis Chriſtum: promiſſiones autem Euangelicæ non reſpiciunt ad aliam legem, ſed per Chriſtum nouæ legis auctorem adimplentur, iuxta doctrinam Paulinam ſuprà expoſitam. Quod ad conditio-

nem

nem autem obseruationis mãdatorum attinet, sicut ex ea pendebant promissiones veteris legis, ita etiam promissiones euanglicæ, vt rectissimè à patribus Concilij Tridentini definitum, & à nobis hactenus, refutatis ordine omnibus modis quibus contrarium isti cogitare possunt, manifestè ostensum est. Sess. 6. Can. 2

91. Neq; quidquam ipsorum causam iuuat, quod Apostolus legem nouam aliquibus in locis legem fidei, eiusq; iustitiam, iustitiam fidei appellat, cùm legem veterem nominet legem factorum. Non enim ideo negare vult, præter præceptum fidei alia esse nouæ legis præcepta à quorum obseruatione tanquam à conditione, vt explicatum est, promissio salutis dependeat; sed tantùm distinguit legem nouam à lege veteri, quæ, quia plura facta præscribit, lex factorũ antonomasticῶs, vt suprà notauimus, dicebatur, cùm contrà lex noua, quia maximè illustrem fidem requirit, antonomasticῶs lex fidei meritò nominetur. Quam sanè vtriusq; legis distinctionem ideo Apostolus stabilire conatus est, vt Iudæis persuadere posset, præter legem Mosaycam, aliam ipsis expectandam fuisse diuinam legem perfectiorem, quam complecti deberent: quô itidem disputatio spectat eius loci epistolæ ad Romanos, quem Caluinus & alij Sectarij, non intelligentes quæ legunt, neq; quæ loquuntur, inprimis corrumpere sunt conati. Dominus misereatur cæcitatis illorum. Con. 17. & 13. Rom. 10. Lib. 3. inst. c. 11. Sess. 17.

LAVS DEO OPT. MAX. ET BEATISSIMAE VIRgini sanctissimæ Dominæ nostræ.

ERRATA.

In fine concl. 1. pro ? pone ! post concl. 2. ¶, Sed, lege similiter. 4. quod. 25. adimplendi. 28. hic. 29. cæremonijs. 42. prædicate. 49. monte.

Diſputatio hæc de vera & falſa differentia veteris ac nouæ legis orthodoxa & erudita eſt, atq; ita digna quæ typis excuſa publicè ad diſputandum proponatur. ita teſtor ego

OTHO EISENREICH *Societatis* IESV *SS. Theolog. Profeſſor ordinarius & eiuſdem facultat. pro tempore Decanus.*